



EUROPA LATINA



Ministero dell'Istruzione, Università e Ricerca



Ufficio XI - Brescia

COLLOQUI / COLLOQVI *quod tu in docendo potes...*

6

domenica 3, lunedì 4 e martedì 5 ottobre 2010

Casa di accoglienza "Il Carmine"

S. Felice del Benaco (BS)



Benaci Sinus felix (San Felice del Benaco)

C. Iulius Caesar • P. Cornelius Tacitus • Beda Venerabilis
Galfridus Monemutensis • Meriadoci scriptor
Joahannes Boccaccius de Certaldo
Erasmus Roterodamus
Tabulae Vindo-
landenses

BRITANNIA



EX ORDINATRO CLAVDII DIDYMI DVBITATII
Ad Collem cyparissorum, MMX
Absque superiorum permissu

C. Iuli Caesaris <i>Commentariorum de bello gallico liber quartus</i>	1
C. Iuli Caesaris <i>Commentariorum de bello gallico liber quintus</i>	3
P. Corneli Taciti <i>Agricola</i>	5
P. Corneli Taciti <i>Annalium liber quartus decimus</i>	8
Bedae Venerabilis <i>Historiae ecclesiasticae gentis Anglorum liber primus</i>	11
Galfridi Monemutensis <i>Historiae regum Britanniae liber primus</i>	13
<i>Historia Meriadoci regis Cambriae</i>	16
Boccacci <i>De casibus virorum illustrium liber VIII</i>	19
Erasmi Roterodami <i>Epistula ad Franciscum medicum</i>	22
<i>Tabulae Vindolandenses</i>	23

C. IVLI CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER QVARTVS

[23] His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem III fere vigilia naves solvit equitesque in ulteriorem portum progredi et naves conscendere et se sequi iussit. A quibus cum paulo tardius esset administratum, ipse hora diei circiter IIII cum primis navibus Britanniam attigit atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. Cuius loci haec erat natura atque ita montibus angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus in litus telum adigi posset. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum locum arbitratus, dum reliquae naves eo convenirent ad horam nonam in ancoris expectavit. Interim legatis tribunisque militum convocatis et quae ex Voluseno cognovisset et quae fieri vellet ostendit monuitque, ut rei militaris ratio, maximeque ut maritimae res postularent, ut, cum celerem atque instabilem motum haberent, ad nutum et ad tempus omnes res ab iis administrarentur. His dimissis, et ventum et aestum uno tempore nactus secundum dato signo et sublatis ancoris circiter milia passuum septem ab eo loco progressus, aperto ac plano litore naves constituit.

[24] At barbari, consilio Romanorum cognito praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum oppressis simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum, cum illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela coicerent et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti atque huius omnino generis pugnae imperiti, non eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti proeliis consueverant, utebantur.

[25] Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatio et motus ad usum expeditior, paulum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac submoveri iussit; quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt ac paulum modo pedem rettulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam gerebat, obtestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, 'desilite', inquit, 'milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.' Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne

tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis primi navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus adpropinquaverunt.

[26] Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque signa subsequi poterant atque alius alia ex navi quibuscumque signis occurrerat se adgregabat, magnopere perturbabantur; hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur, plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto in universos tela coiciebant. Quod cum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri iussit, et quos laborantes conspexerat, his subsidia submittebat. Nostri, simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

[28] His rebus pace confirmata, post diem quartum quam est in Britanniam ventum naves XVIII, de quibus supra demonstratum est, quae equites sustulerant, ex superiore portu leni vento solverunt. Quae cum adpropinquarent Britanniae et ex castris viderentur, tanta tempestas subito coorta est ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem unde erant profectae referrentur, aliae ad inferiorem partem insulae, quae est propius solis occasum, magno suo cum periculo deicerentur; quae tamen ancoris iactis cum fluctibus complerentur, necessario adversa nocte in altum provectae continentem petierunt.

[29] Eadem nocte accidit ut esset luna plena, qui dies a maritimos aestus maximos in Oceano efficere consuevit, nostrisque id erat incognitum. Ita uno tempore et longas naves, quibus Caesar exercitum transportandum curaverat, quasque in aridum subduxerat, aestus complebat, et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas adflictabat, neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquae cum essent funibus, ancoris reliquisque armamentis amissis ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est. Neque enim naves erant aliae quibus reportari possent, et omnia deerant quae ad reficiendas naves erant usui, et, quod omnibus constabat hiemari in Gallia oportere, frumentum in his locis in hiemem provisum non erat.

C. IVLI CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER QVINTVS

[8] His rebus gestis, Labieno in continenti cum tribus legionibus et equitum milibus duobus relicto, ut portus tueretur et rei frumentariae provideret, quaeque in Gallia gererentur cognosceret consiliumque pro tempore et pro re caperet, ipse cum quinque legionibus et pari numero equitum, quem in continenti reliquerat, solis occasu naves solvit et leni Africo provectus media circiter nocte vento intermisso cursum non tenuit, et longius delatus aestu orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum rursus aestus commutationem secutus remis contendit ut eam partem insulae caperet, qua optimum esse egressum superiore aestate cognoverat. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectoriis gravibusque navigiis non intermisso remigandi labore longarum navium cursum adaequarunt. Accessum est ad Britanniam omnibus navibus meridiano fere tempore, neque in eo loco hostis est visus; sed, ut postea Caesar ex captivis cognovit, cum magnae manus eo convenissent, multitudine navium perterritae, quae cum annotinis privatisque quas sui quisque commodi fecerat amplius octingentae uno erant visae tempore, a litore discesserant ac se in superiora loca abdiderant.

[12] Britanniae pars interior ab eis incolitur quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt, maritima ab eis, qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt (qui omnes fere eis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt) et bello illato ibi permanserunt atque agros colere coeperunt. Hominum est infinita multitudo creberrimaeque aedificia fere Gallicis consimilia, pecorum magnus numerus. Utuntur aut aere aut nummo aureo aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum, sed eius exigua est copia; aere utuntur importato. Materia cuiusque generis ut in Gallia est, praeter fagum atque abietem. Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant; haec tamen alunt animi voluptatisque causa. Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.

[13] Insula natura triquetra, cuius unum latus est contra Galliam. Huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes ex Gallia naves appellantur, ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. Hoc pertinet circiter mila passuum quingenta. Alterum vergit ad Hispaniam atque occidentem solem; qua ex parte est Hibernia insula, dimidio minor, ut aestimatur, quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam. In hoc medio cursu est insula, quae appellatur Mona: complures praeterea minores subiectae insulae existimantur, de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos triginta sub bruma esse noctem. Nos nihil de eo percontationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris breviores esse quam in continenti noctes videbamus. Huius est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum milium. Tertium est

contra septentriones; cui parti nulla est obiecta terra, sed eius angulus lateris maxime ad Germaniam spectat. Hoc milia passuum octingenta in longitudinem esse existimatur. Ita omnis insula est in circuitu vicies centum milium passuum.

[14] Ex his omnibus longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt pellibusque sunt vestiti. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius. Vxores habent deni duodenique inter se communes et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis; sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quaeque deducta est.

P. CORNELI TACITI AGRICOLA

[10] Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniue referam, sed quia tum primum perdomita est. Ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama; sed transgressis inmensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum, et hiems adpetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus ad crescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

[11] Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant; Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt; proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas ac superstitionum persuasiones; sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt.

[12] In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi

vincuntur. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere, sed transire adfirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta patiens frugum fecundumque: tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus umor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

[13] Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munia impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace: consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili paenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor iterati operis, transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae fuit: domitae gentes, capti reges et monstratus fati Vespasianus

[15] Namque absentia legati remoto metu Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. Aequae discordiam praepositorum, aequae concordiam subiectis exitiosam. Alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio fortiores esse qui spoliati: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus. Quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum: et flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam coniuges parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. Recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus felicibus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod

difficillimum fuerit, deliberare. Porro in eius modi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere.

[16] His atque talibus in vicem instincti, Boudicca generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpserunt universi bellum; ac sparsos per castella milites consecrati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis, nec ullum in barbaris ingeniis saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret. [...]

[38] Et nox quidem gaudio praedaeque laeta victoribus: Britanni palantes mixto virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere; miscere in vicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari. Satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obviis. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostis compertum (et exacta iam aestate spargi bellum nequibat), in finis Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit.

P. CORNELI TACITI ANNALIVM LIBER QVARTVS DECIMVS

[29] 2. Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator, receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. sic pedes; equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.

[30] Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, interkursantibus feminis, in modum Furiarum veste ferali, crinibus disiectis faces praeferabant; Druidaeque circum, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate adspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. praesidium posthac impositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur.

[33] At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatumum maxime celebre. ibi ambiguus, an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet: si quos imbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militare [horre]um, quod uberrimum spoliant[i] et defendentibus intutum, laeti praeda et laborum segnes petebant. ad septuaginta milia civium et sociorum iis, quae memoravi, locis cecidisse constitit. neque enim capere aut venundare aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula, ignes cruces, tamquam reddituri supplicium, at praerepta interim ultione, festinabant.

[34] Iam Suetonio quarta decima legio cum vexillariis vicesimanis et [e] proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum, erant, cum omittere cunctationem et congregi acie parat. deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, globatus pro cornibus eques astitit. at Britannorum copiae passim per

catervas et turmas exultabant, quanta non alias multitudo, et animo adeo fero[ci], ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustisque imponerent, quae super extremum ambitum campi posuerant.

[35] Boudicca curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur, sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant. adesse tamen deos iustae vindictae; cecidisse legionem, quae proelium ausa sit; ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et manus perluros. si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.

[36] Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat. quam[quam] confideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas: plus illic feminarum quam iuventutis adspici. imbelles inermes cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus paucos, qui proelia profligarent; gloriaque eorum accessurum, quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur. conferti tantum et pilis emissis post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praedae immemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus eventu[s] Suetonius daret pugnae signum.

[37] Ac primum legio gradu immota et angustias loci pro munimento retinens, postquam [in] propius suggrossos hostes certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. idem auxiliarium impetus; et eques protentis hastis perfringit quod obvium et validum erat. ceteri terga praebuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula saepserant abitus. et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant. clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis. Boudicca vitam veneno finivit. et Poenius Postumus, praefectus castrorum secundae legionis, cognitis quartadecumanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae iussa ducis, se ipse gladio transegit.

[38] Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. auxitque copias Caesar missis ex Germania duobus legionariorum

milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt. cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatum. sed nihil aeque quam fames adfligebat serendis frugibus incuriosos, et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant. gentesque praeferoces tardius ad pacem inclina[ba]nt, quia Iulius Classicianus, successor Cato missus et Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediabat disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. simul in urbe[m] mandabat, nullum proelio[rum] finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.

BEDAE VENERABILIS HISTORIAE ECCLESIASTICAE GENTIS ANGLORVM LIBER PRIMVS

1.[...]Opima frugibus atque arboribus insula, et alendis apta pecoribus ac iumentis; uineas etiam quibusdam in locis germinans; sed et auium ferax terra marique generis diuersi; fluuiis quoque multum piscosis ac fontibus praeclara copiosis, et quidem praecipue issicio abundat, et anguilla. Capiuntur autem saepissime et uituli marini, et delphines, nec non et balenae; exceptis uariorum generibus concyliorum; in quibus sunt et musculae, quibus inclusam saepe margaritam omnis quidem coloris optimam inueniunt, id est et rubicundi, et purpurei, et iacintini, et prasini, sed maxime candidi. Sunt et cocleae satis superque abundantes, quibus tintura coccinei coloris conficitur, cuius rubor pulcherrimus nullo umquam solis ardore, nulla ualet pluuiarum iniuria pallescere; sed quo uetustior, eo solet esse uenustior. 2. Habet fontes salinarum, habet et fontes calidos, et ex eis fluuios balnearum calidarum omni aetati et sexui per distincta loca iuxta suum cuique modum accommodos. Aqua enim, ut sanctus Basilius dicit, feruidam qualitatem recipit, cum per certa quaedam metalla transcurrit, et fit non solum calida, sed et ardens. Quae etiam uenis metallorum, aeris, ferri, et plumbi, et argenti, fecunda, gignit et lapidem gagatem plurimum optimumque; est autem nigrogemmeus, et ardens igni admotus, incensus serpentes fugat, adtritu calefactus adplicita detinet, aequae ut sucinum. Erat et ciuitatibus quondam XX et VIII nobilissimis insignita, praeter castella innumera, quae et ipsa muris turribus, portis, ac seris erant instructa firmissimis. Et quia prope sub ipso septentrionali uertice mundi iacet, lucidas aestate noctes habet; ita ut medio saepe tempore noctis in quaestionem ueniat intuentibus, utrum crepusculum adhuc permaneat uespertinum, an iam aduenerit matutinum, utpote nocturno sole non longe sub terris ad orientem boreales per plagas redeunte; unde etiam plurimae longitudinis habet dies aestate, sicut et noctes contra in bruma, sole nimirum tunc Lybicas in partes secedente, id est horarum X et VIII; plurimae item breuitatis noctes aestate, et dies habet in bruma, hoc est sex solummodo aequinoctialium horarum; cum in Armenia, Macedonia, Italia, ceterisque eiusdem lineae regionibus longissima dies siue nox XV, breuissima VIII conpleat horas. 3. Haec in praesenti, iuxta numerum librorum, quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis, unam eandemque summae ueritatis et uerae sublimitatis scientiam scrutatur, et confitetur, Anglorum uidelicet, Brettonum, Scottorum, Pictorum et Latinorum, quae meditatione scripturarum ceteris omnibus est facta communis. In primis autem haec insula Brettones solum, a quibus nomen accepit, incolas habuit; qui de tractu Armoricano, ut fertur, Britanniam aduecti, australes sibi partes illius uindicarunt. Et cum plurimam insulae partem, incipientes ab Austro, possedissent, contigit gentem Pictorum de Scythia, ut perhibent, longis nauibus non multis Oceanum ingressam, circumagente flatu uentorum, extra fines omnes Britanniae Hiberniam peruenisse, eiusque septentrionales oras intrasse, atque inuenta ibi gente

Scottorum, sibi quoque in partibus illius sedes petisse, nec inpetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omnium post Britanniam maxima, ad occidentem quidem Britanniae sita; sed sicut contra Aquilonem ea breuior, ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens, usque contra Hispaniae septentrionalia, quamuis magno aequore interiacente peruenit. 4. Ad hanc ergo usque peruenientes nauigio Picti, ut diximus, petierunt in ea sibi quoque sedes et habitationem donari. Respondebant Scotti, quia non ambos eos caperet insula, 'sed possumus,' inquiunt, 'salubre uobis dare consilium, quid agere ualeatis. Nouimus insulam aliam esse non procul a nostra contra ortum solis, quam saepe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si uultis, habitabilem uobis facere ualeatis; uel, siqui restiterit, nobis auxiliariis utimini.' Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per septentrionales insulae partes coeperunt, nam austrina Brettones occupauerant. Cumque uxores Picti non habentes peterent a Scottis, ea solum condicione dare consenserunt, ut ubi res ueniret in dubium, magis de feminea regum prosapia quam de masculina regem sibi eligerent; quod usque hodie apud Pictos constat esse seruatum. Procedente autem tempore, Britannia post Brettones et Pictos tertiam Scottorum nationem in Pictorum parte recepit; qui duce Reuda de Hibernia progressi, uel amicitia uel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, uindicarunt; a quo uidelicet duce usque hodie Dalreudini uocantur, nam lingua eorum daal partem significat.

GALFRIDI MONEMVTENSIS HISTORIAE REGVM BRITANNIAE LIBER PRIMVS

I, 2 - De primis Britanniae incolis.

Britannia insularum optima, in occidentali Oceano inter Galliam est et Hiberniam sita : octingenta milia in longum : ducenta vero in latum continens : quicquid mortalium usui congruit, indeficienti fertilitate ministrat. Omni enim genere metalli fecunda, campus late pansos habet, collesque praepollenti culturae aptos, in quibus frugum diversitates ubertate glebae temporibus suis proveniunt. Habet et nemora universis ferarum generibus repleta : quorum in saltibus et in alternandis animalium pastibus gramina conveniunt, et advolantibus apibus flores diversorum colorum mella distribuunt. Habet prata sub aëriis montibus amoeno situ virentia, in quibus fontes lucidissimi per nitidos rivos leni murmure manantes, suaves sopores in ripis accubantibus irritant. Porro lacubus atque piscosis fluviis irrigua est : et praeter meridianae plagae fretum quo ad Gallias navigatur, tria nobilia flumina, Tamesis videlicet et Sabrinae, necnon et Humbrae, velut tria brachia extendit : quibus transmarina commercia ex universis nationibus ejusdem navigio feruntur. Bis denis etiam bisque quaternis civitatibus olim decorata erat : quarum quaedam dirutis moenibus in desertis locis squalescunt : quaedam vero adhuc integrae templa sanctorum cum turribus perpulchra proceritate erecta continent, in quibus religiosi coetus virorum ac mulierum obsequium Deo juxta Christianam traditionem praestant. Postremo quinque inhabitatur populis : Romanis videlicet atque Britannis, Saxonibus, Pictis, et Scotis. Ex quibus Britones olim ante ceteros a mari usque ad mare insederunt : donec ultione divina ob ipsorum superbiam superveniente, Pictis et Saxonibus cesserunt. Qualiter vero et unde applicuerint, restat numnc praelibare, ut in sequentibus latius explicabitur.

Brutus, post parentes occisos exul, Graeciam petit.

3. Aeneas post Trojanum bellum, excidium urbis cum Ascanio diffugiens, Italiam navigio adivit. Ibi cum a Latino rege honorifice receptus esset, invidit Turnus rex Rutulorum, et cum illo congressus est. Dimicantibus illis, praevaluit Aeneas, peremptoque Turno, regnum Italiae et Laviniam filiam Latini est adeptus. Denique suprema die ipsius superveniente, Ascanius regia potestate sublimatus, condidit Albam supra Tiberim, genuitque filium, cui nomen erat Silvius. 4. hic furtivae Veneri indulgens, quandam Laviniae neptem uxorem duxit, eamque fecit praegnantem. Cumque id patri Ascanio compertum esset, praecepit Magis suis explorare quem sexum puella concepisset. Certitudine ergo rei comperta, dixerunt Magi ipsam gravidam esse puero, qui patrem et matrem interficeret : pluribus quoque terris peragratis in exilium, ad summum tandem culmen honoris perveniret. Nec illos fefellit vaticinium suum. Nam ut dies partus

accessit, edidit mulier puerum, et in nativitate ejus mortua est. Traditur autem ille nutrici, vocaturque Brutus. Postremo cum ter quini anni elapsi essent, comitabatur juvenis patrem in venando, ipsumque inopino ictu sagittae interfecit. Nam cum famuli cervos in occursum eorum ducerent, Brutus telum in ipsos dirigere affectans, genitorem sub pectore percussit. Quo mortuo expulsus est ab Italia, indignantibus consanguineis ipsum tantum facinus fecisse. Extulans ergo adivit Graeciam : invenitque progeniem Heleni filii Priami, quae sub potestate Pandrasi Graecorum regis in servitutem tenebatur. Pyrrhus etenim Achillis filius post Trojae eversionem, praedictum Helenum compluresque alios secum in vinculis adduxerat. Et ut necem patris in ipsos vindicaret, in captione teneri praeceperat. Agnitaeque veterum concivium prosapia, moratus est Brutus apud eos. In tantum autem militia et probitate vigere coepit, ita ut a regibus et ducibus prae omni juventute patriae amaretur. Erat enim inter sapientes sapiens : inter bellicosos bellicosus : et quicquid auri vel argenti sive ornamentorum acquirebat, totum suis commilitonibus erogabat.

Brutus et Corineus Albion inter se partiuntur.

22. Erat tunc nomen insulae Albion, quae a nemine, exceptis paucis gigantibus, inhabitabatur, amoeno tamen situ locorum et copia piscosorum fluminum, nemoribusque praelecta, affectum habitandi Bruto sociisque inferebat. Peragratis ergo quibusque provinciis, repertos gigantes in cavernas montium fugant, patriam donante duce sortiuntur. Agros colere incipiunt, domos aedificare, ita ut brevi tempore terram ab aevo inhabitatam censes. Denique Brutus de nomine suo insulam Britanniam, sociosque suos Britones appellat : volebat enim ex derivatione nominis memoriam habere perpetuam. Unde postmodum loquela gentis, quae prius Trojana sive curvum Graecum nuncupabatur, Britannica dicta est. At Corineus portionem regni quae sorti suae cesserat, ab appellatione sui nominis Corineam vocat, populumque Corineinsem, exemplum ducis insecutus : qui cum prae omnibus qui advenerant electionem provinciarum posset habere, maluit regionem illam quae nunc vel a cornu Britanniae, vel per corruptionem praedicti nominis Cornubia appellatur. Delectabat enim eum contra gigantes dimicare, quorum copia plus ibidem abundabat quam in ulla provinciarum, quae consociis suis distributae fuerant. Erat ibi inter ceteros detestabilis quidam nomine Goëmagot staturae duodecim cubitorum, qui tantae virtutis existens, quercum semel excussam velut virgam coryli evellebat. Quadam die dum Brutus in portu quo applicuerat festivum Diis diem celebraret, supervenit ille cum viginti gigantibus, atque dirissima caede Britones affecit. At Britones tandem undique confluentes in eos praevaluerunt : omnesque praeter Goëmagot interfecerunt. Hunc Brutus vivum reservari praeceperat, volens videre luctationem ipsius et Corinei, qui ultra modum cum talibus aestuabat congregari. Itaque Corineus maximo fluctuans gaudio, succinxit se, et abjectis armis ipsum ad luctandum provocat. Inito deinde certamine hinc

stat Corineus, hinc gigas, et alter alterum vinculis brachiorum annectens, crebris afflatibus aëra vexant. Nec mora, Goëmagot Corineum maximis viribus astringens, fregit ei tres costas : duas in latere dextro, et unam in sinistro. Unde Corineus in iram compulsus, suas revocavit vires, et imposuit illum humeris suis, et imposito, quantum velocitas pro pondere sinebat, ad proxima litora cucurrit. Deinde summitatem excelsae rupis nactus, excussit se, et praedictum letale monstrum quod super humeros suos ferebat in mare projecit, at ille per abrupta saxa cadens, in multa frusta dilaceratus est : et fluctus sanguine maculavit. Locus autem ille a praecipitatione gigantis nomen adeptus Lamgoëmagot, id est saltus Goëmagot, usque in praesentem diem vocatur.

HISTORIA MERIADOCI REGIS CAMBRIAE

Indictum igitur duellum, loco et tempore statuto, iniciatur, ad quod agendum singulis diebus unus a rege Arturo miles dirigitur. Sed omnes, uno omine excepti, omnes a Nigro Milite de Nigro Saltu prostrati, deuicti et sub nomine captiui ad eum remissi sunt. Iamque ceteris sinistro fato transcursis, e quadragenario numero tres tantummodo dies restabant, cum rex Arturus, inmodice afflictus, tum pudore, suos ualidiores equites ab uno deuinci, tum eciam dampno quod sibi ea de causa perpendebat oriri, Kaium dapiferum suum aduocauit, quem et sic allocutus est: "Intollerabili michi mens merore premitur nullaue per diuersa cogitationum distracta quiete perfruitur, cui nunquam quicquam quam in presenti obrepsit pudibundius. Ecce namque tot mei famosos campigenas quos bello misimus, pro dolor! ab uno subigi, tot uiros robustos ab uno pudet eneruari, in quorum singulis, quia meam causam agere noscuntur, tociens me uinci confundor, quociens ipsi ab aduersario expungnantur. Et de quo celebre hactenus ubique ferebatur, quempiam meorum militum mille aliis preualere solere, nunc e conuerso, uerso fortune folio, mille eorum non possunt uni resistere. Igitur quia strenuiores mei exercitus hosti inerte loco cesserunt et dies quadragessimus duobus dumtaxat interpositis instat diebus, uiuaci utendum est consilio, ut uel saltem hiis iii diebus nostri simul pudoris et dampni resarciatur cumulus. Vnde necesse censui te in crastinum ad initum debere proficisci duellum, quem uirtute et industria ceteris sepius ualenciozem expertus sum et cuius est officium, aliis deficientibus, pro me semper laboris subire dispendium commilitonibusque uexatis et abactis auxilii conferre subsidium. Quod si te eciam uictrix manus hostilis eidem quo ceteros inuoluerit discrimini, meus profecto nepos Waluuanus contra eum conflictum die sorcietur sequenti. Illum quoque si isdem infortunii casus meruerit, ipsemet die extrema ad singulare illius certamen progrediar, quo aut totum cum dedecore perdam seu certe mei esse domini Nigrum Saltum uirtuose decernam. Vade ergo et ut summo sis presto diluculo sedulus preuide." Kaius: "Tanta oracionis prolixitate opus non erat tue mentis scire placitum michi; noueris ratum haberi preceptum. Presto ero et rem quo melius potero perficere curabo." Perrexit igitur atque secretius cum amicis secedens, quam lepide, quam generose, quamque uiriliter rem gereret cum eis deliberabat.

Hoc ubi Meriadocus comperit, qui iam ante triennium ab eodem Kaio ad militarem nobiliter fuerat promotus ordinem, ad eum accessit atque an uerum esset quod de eo audierat inquisiuit. Quo respondente uerum, cepit Meriadocus eum rogare, ut se sui loco duellum cum Nigro Milite de Nigro Saltu sineret committere, dicens indecens nimis esse et sue glorie minime expedire, ut cum illo confligeret a quo tot probos patebat deuictos ; quia qui maioris uirtutis hactenus

ceteris habitus fuerat si et ipse uictus sortem incurrisset uictorum, maiori nempe quam alii exponeretur obprobrio, quippe dum ad hoc eligebatur ut omnes alios ulcisceretur. De se uero si contigisset deuinci, nec sermonem asserebat habendum; si autem triumphum de tociens triumphante potuisset nancisci, non solum sibimet sed eciam illi laudis fauorem acquireret, quia uirtus et probitas militis est honor et gloria principis. Kaius autem [...]Demum tamen, prefatis atque multis aliis rationibus flexus, ei quod petebat de eius non diffidens uirtute concessit, plurimum eum hortatus, ut sic studeret exequi negotium, quatenus non uituperium sed laudis utrique adipisci mererentur brauium.

Meriadocus igitur sub ipso diei crepusculo, armis, ut decebat, instructus, sonipedem ascendit atque ad Nigrum Saltum, moderaciori tamen gressu, ne equ[u]s anelus fatisceret, contendit. Ambiebat autem ipsum Nigrum Saltum fluuius latus et profundus, qui, quasi limes et diuisio, terram regis Arturi ab ipso saltu dirimebat. Ad quem Meriadocus perueniens equo descendit, faleras deposuit, se in recenti herba parumper refrigerare et spaciari equum uolutando permisit. Deinde, crine composito, singulisque membris leui manu comptis et deterisis, iterum cornipedem stratum ascendit. Vado autem quo transiturus erat reperto, bucina, sicut alii antea fecerant, insonuit, quo Niger Miles de Nigro Saltu militem qui secum congrediretur aduenisse cognosceret. Niger autem Miles de Nigro Saltu, sonitu percepto bucline, arma statim corripuit, ac, equo ascenso, se cursu precipiti ei obuium dedit, quique in medio ipsius uadi transitu ei occurrens cum illo congressus est. At Meriadocus, equum cursu, lanceam impulsu, caucius dirigens, splendidum ei ferrum sub ore stomachi inflixit, et, cum ipso ictu dextram fortiter impingens ac in latus artificiose retorquens ipsum impulsu prona petere compulit. Moxque lanceam scuto infixam deserens, stricto mucrone, in eum in decliuo uno pede scansili retento pendentem irruit; nasumque cassidis leua arripiens quasi ei caput amputaturus institit. Niger uero Miles de Nigro Saltu, supplices ad eum manus protendens, ut secum paucis, pace interposita, colloqui liceret flagitare cepit. Cuius precibus cedens Meriadocus dextram cohibuit et quid dicere uellet annuit. Qui super equum erectus "Multas cum multis" ait "congressiones inij, et nunquam me forc[i]orem nec eciam mei parem usque hodie reperire ualui. Tui autem impulsus impetu omnis me protinus pristina uirtus reliquit, nec alterius modi mihi tua est experta impulsio, quam si celi et terre una adinuicem, me medio existente, fieret collisio. Dic igitur mihi quis sis, miles eggregie, cui procul dubio etas maturior incomparabilem uidetur spondere uirtutem, quem eciam nunc inberbem tante fortitudinis comitatur effectus." Meriadocus: Mei generis originem nunc superfluo duco retexere; pandam quod ad presens spectat negotium, me, militem regis Arturi, hunc Nigrum Saltum contra te disracionatum esse legatum." Cui ille: "Te ipsius militem equidem sum patenter expertus teque Nigrum Saltum aduersum me

decreuisse prorsus fateor." Gladiumque uagina extrahens ei ab cuspidē in signum uictorie tradidit, "Obsecro tamen," subiunxit, "ut tue propaginis seriem mihi notifices, quia tante fortitudinis tanteque pulcritudinis indolem non reor ex humili plebe descendisse." Tunc Meriadocus, cuncta que pretaxauimus replicans, omnium suorum lineam generacionis natalium, prospera et aduersa que pertulerat, sueque mentis ad milicie exercitium propositum, singillatim patefecit. Quibus auditis, "Iuste," ait Niger Miles de Nigro Saltu "tanto oriundus stemmate, tanta animi uirtute, corporisque precellis uigore. Nec me pudet aliis semper inuincibilem a tali deuinci qualem te iam signis patentibus euidenter comprobaui. Insuper et me quicquid mei est tui ex nunc dicioni submitto, meque, quocumque perrexeris, ad uniuersa que peragere uolueris inseparabilem tibi spondeo futurum comitem, quo nec fideliozem nec magis necessarium te reperturum estimo. Pro insipiente reputabitur qui alteri nostrum, altero presente, aliquid mali moliri uoluerit." Hec dicens, ceruicem ad Meriadoci genua suppliciter flexit seque ipsius imperio et dicioni subdidit. Meriadocus autem, quod sibi a tanto uiro offerebatur indignum renuere iudicans, ipsius dedicionem cum subiectione gratuito suscepit animo. Deinde inuicem amplexi simul ad curiam regis Arturi properabant, accepta ab eo fide, interposita cum securitate fidelitate, ut quoad uiueret suo in obsequio fidelis persisteret.

BOCCACCI DE CASIBVS VIRORVM ILLUSTRIVM LIBER VIII**XIX. De Arturo Britonum rege.**

Britones angulo in occiduo positi et ab orbe fere ceteri separati, suis annalibus asserunt Arturum quondam regem suum, longe rerum omnium occidentalium clariorem eumque a Constantino quodam – qui occiso Gratiano municipe insule tyranno regnum tenuit – originem habuisse eiusque fuisse patrem Uter cognomento Pandragon insule regem. Quo mortuo, cum is regale conscendisset solium adhuc iuvenis et admirande indolis videretque eo venisse rem publicam romanam ut quantum quisque surripuisset eidem, tantum possideret impune, non contentus relictis a patre imperii, collectis viribus, Hyberniam, Orcadas, Daciam Gothlandiam Norvegiam aliasque plures etiam versus Galliam provincias maximo celerique subegit successu.

Porro cum satis visum foret regni terminos et nominis gloriam ampliasset, ratus aliquando finem belli ponendum, ne ocio virtus marcesceret, ut fertur, Merlini vatis, ea tempestate florentis consilio, Tabulam quam Rotundam Angli vocitant ordinavit. Ad quam, quasi ad convivium celebre, quoscunque ex suis nobilioribus armis et moribus novit egregios convocavit selectosque legibus ordinibusque in consortium et societatem coegit.

Fuit quippe omnibus lex precipua arma non ponere, monstruosa exquirere, ius debilium vocati totis viribus defensare, violare neminem, se invicem non ledere, pro salute amicorum pugnare, pro patria vitam exponere, sibi preter honorem nil querere, fidem nullam ob causam infringere, religionem diligentissime colere hospitalitatem quibuscunque gratis pro facultatibus exhibere, contingentia seu in honorem seu in dedecus referentis vergentia summa cum fide et veritate quibus annalium cura erat exponere; et huiusmodi plura laude quidem dignissime exercere. Quibus rite servatis, tam robore sociorum militum quam inclita morum claritate, regium nomen in tam splendidam gloriam delatum est ut nec Fortuna sevens nec annosa vetustas agere potuerit quin usque in nostrum seculum claro cum fulgore devenerit.

His igitur iam felix, dum solitum vectigal Romanis poscentibus negasset, copiis in Galliam deportatis, signis collatis, adversus Lucium consulem illud armis poscentem descendit in aciem. Et cum illi cessisset victoria, in omisum desiderium recidens, occupaturus ampliora processit.

Sed elato iam parabatur occasus. Dum ergo armis interiora infestaret Gallie, Mordretus eius ex concubina filius – cui sedem regni, se absente, tutandam liquerat – acer iuvenis ad omne facinus audax, iam dudum regnandi cupidine captus, oblatum sibi tempus a Fortuna regis absentia ratus, cepit ad libertatem

iugo pressos regio irritare, animos omnium donis allicere, se regem benignissimum futurum ostendere, civitates arcesque regni suis presidiis servare, amicos convocare, vires parare, mercennariorum militum maximam manum conducere, regi patri supplementa et commeatus negare et ad rebellionem spectantia cuncta peragere; et cum iam precogitatum tempus adesset, ficticiis literis regem bello mortuum demonstrare, sese regem dicere et regalia cuncta tractare.

Que cum fama velox Arturi detulisset in castra, repente belli sedes mutata est; et arma que in socios Romanorum infelix direxerat, in filium retorquere coactus est. Assumptis igitur in classe copiis, in litore britannico filium repugnantem habuit obvium. Verum cum nequisset obsistere, dimisso litore et in fugam versus, se Guitoniam contulit; ibique cum omne robur suum convenisset, certaminis temptare fortunam disposuit; tanteque fuit obstinate perfidie, ut non vereretur adversus patrem in pugnam descendere.

Commisso igitur certamine, etsi militum Arturi armorum atque bellice discipline virtus esset insignis, multitudo tamen adversa, crimine lese maiestatis conscia et ob id mori potius quam vinci disposita, nec flecti poterat nec inpelli. Et ideo, marte sub dubio, diu acriter hinc inde pugnatum est; et ex utraque parte tam ingens quam feda pugnantium cedes facta. Periere equidem ibi omnes fere Arturi commilitones egregii. Quod cum egre ferret Arturus videretque Mordretum, quasi renovatis viribus discurrentem et fere sua virtute victoriam occupantem, seposita affectione patria, lancea sumpta toto recentis equi impetu in venientem irruit eiusque miserrimi pectus omne transfodit. Verum non impune. Nam iuvenis letali dolore percitus, cum se totum in vires collegisset, propinquant regi, erecto gladio caput adeo feriit ut, non resistente galea, ad cerebrum usque descenderet gladius.

Rex vero transvectus equo, dum lanceam ex pectore moribundi retraheret, aiunt adeo ampliatus vulnus ut per illum in partem alteram cadentis iam solis transparenterent radii. Mordretus igitur illico decidens, finem sumpsit infauste presumptionis et vite. Rex autem dierum extremum iam sentiens continuo prosiluit ex equo navimque conscendens, iussit se moriturum in insula Avalonis deferri. Ibique ex felicissimo miser moriens Constantino nepoti suo regni dominium ac desolationis vindictam peragendam reliquit. Sane, seu quod a successore Arturi mors arte celata sit, seu eo quod, existentibus rebus perturbatione maxima involutis, in se Arturus paucis consciis moreretur et nullo apparatu sepultus sit, quasi non mortuum sed sub taciturnitate servatum adhuc tanquam insignem et precipuum regem suum vulgo vivum arbitrantur Britones eumque solidatis vulneribus procul dubio rediturum asserunt.

Quo ergo unius nepharii hominis ausu parvissimo temporis tractu ampliatum, Arturi regnum diminutum est illique cum vita subtractum.

Tabula Rotunda tot probis splendida viris cesis omnibus deserta fractaque et in vulgi fabulam versa est. Gloria ingens regis et claritas desolatione in ignominiam et obscuritatem deleta est adeo ut possint, si velint, mortales advertere nil in orbe preter humilia posse consistere.

ERASMI ROTERODAMI EPISTVLA AD FRANCISCVM MEDICVM

Erasmus Roterodamus Francisco, Cardinalis Eboracensis Medico, s.

Frequenter et admirari et dolere soleo, qui fiat ut Britannia tot iam annis assidua pestilentia vexetur, praesertim sudore letali, quod malum paene videtur habere peculiare. Legimus civitatem a diutina pestilentia liberatam, consilio philosophi mutatis aedificiis. Aut me fallit animus, aut simili ratione liberari possit Anglia. Primum quam coeli partem spectent fenestrae ostiave nihil habent pensi: deinde sic fere constructa sunt conclavia, ut nequaquam sint perflabilia, quod inprimis admonet Galenus. Tum magnam parietis partem habent vitreis tessellis pellucidam, quae sic admittunt lumen ut ventos excludant, et tamen per rimulas admittunt auram illam colatam, aliquanto pestilentior, ibi diu quiescentem. Tum sola fere strata sunt argilla, tum scirpis palustribus, qui subinde sic renovantur, ut fundamentum maneat aliquoties annos viginti, sub se fovens sputa, vomitus, mictum canum et hominum, proiectam cervisiam et piscium reliquias, aliasque sordes non nominandas. Hinc mutato coelo vapor quidam exhalatur, mea sententia minime salubris humano corpori.

Adde quod Anglia non solum undique circumfusa est mari, verum etiam multis in locis palustris est salsisque fluminibus intersecta; ne quid dicam interim de salsamentis, quibus vulgus mirum in modum delectatur. Confiderem insulam fore multo salubriorem si scirporum usus tolleretur; tum si sic exstruerentur cubicula, ut duobus aut tribus lateribus paterent coelo; fenestris omnibus vitreis ita confectis, ut totae possint aperiri, totae claudi, et sic claudi ut non pateat per hiantes rimas aditus ventis noxiis. Siquidem ut aliquando salutiferum est admittere coelum, ita nonnunquam salutiferum est excludere. Ridet vulgus si quis offendatur coelo nubiloso. Ego et ante annos triginta, si fuisset ingressus cubiculum in quo mensibus aliquot nemo versatus esset, ilico incipiebam febricitari. Conferret huc, si vulgo parcius victus persuaderi posset ac salsamentorum moderatior usus; tum si publica cura demandaretur aedilibus, ut viae mundiores essent a caeno mictuque, curarentur et ea quae civitati vicina sint.


Ridebis, scio, otium meum, qui his de rebus sollicitus sim. Faveo regioni quae mihi tam diu praebuit hospitium; et in qua libens finirem quod superest aevi, si liceat. Non dubito quin tu haec pro tua prudentia rectius noris; libuit tamen admonere, ut si meum iudicium cum tuo consentit, haec viris principibus persuadeas. Haec enim olim regum cura consuevit esse. Scripsissem perlibenter reverendissimo domino Cardinali; sed nec otium erat nec argumentum, nec ignoro quibus ille negotiis distringatur.

Bene vale, vir humanissime; cui debeo plurimum.

TABVLAE VINDOLANDENSES

Tab. 250

		i
n	1	[c.4]ius Karus C[e]r[ia]li
	2	[su]o uacat s[alutem]
n	3	[c.4]brigionus petit a me
n	4	[domi]ne ut eum tibi com-
n n	5	mendaret rogo ergo do-
n	6	mine si quod a te petierit
n n	7	[u]elis ei subscribere
n	8	Annio Equestri (centurioni) regi-
n	9	onario Luguualio ro-
n n	10	go ut eum commen-
		ii
n	11	[c.4] digneris .[...]
n	12	[...].que nom[ine]
	13	debetorem m[e] tibi
	14	obligaturus op[er]e
n	15	te felicissimum
n	16	bene [[f]]ualere
	17	uacat
n	18	m2uale frater
retro		
	1	m1[C]eriali
	2	praef(ecto)



Tab. 255

	1	[Cl]odius Super Ceriali suo
	2	salutem
n	3	[V]alentinum n(ostrum) a Gallia reuer-
	4	sum commode uestem adprobas-
	5	se gratulatus sum per quem
n	6	te saluto et rogo ut ea quae
n	7	ussibus puerorum meorum
n n	8	opus sunt mittas mihi sa-
n	9	

		ii
n	10	gacias sex saga [c.3 pallio-]
n n	11	la septem tu[nicas se]x
n n	12	quae scis certe hic me no[n
n n	13	rite impetrare cum simus
n n	14	nona.cusi etiam ad eo[rum
n	15	translationem ualeas
n	16	domine frater
n	17	carissime et [c.8]s
	18	sime traces?
	19	
retro		
n	20	m1Flauió Ceria-
	21	li praef(ecto)
	22	a [C]l[o]dio Supero (centurione)

Tab. 291

n	1	Cl(audia) · Seuerá Lepidinae [suae
n	2	[sa]l[u]tem
n	3	iii Idus Septembr[e]s soror ad diem
n	4	sollemnem natalem meum rogó
	5	libenter faciás ut uenias
	6	ad nos iucundiores mihi
		ii
n n	7	[diem] interuentú tuo facturá si
n	8	[.].[c.3]s uacat
n	9	Cerial[em t]uum salutá Aelius meus .[
n	10	et filiulus salutant uacat
n	11	m uacat sperabo te soror
	12	uale soror anima
n	13	mea ita ualeam
n	14	karissima et haue
retro		
n n	15	m1 Sulpiciae Lepidinae
n n	16	Cerialis
n n	17	a S[e]uera

Tab. 292

		a.i
n	1	
n	2	salutem
n	3	ego soror sicut tecum locuta fueram et promiseram
n	4	ut peterem a Brocchó et uenirem at te peti
	4	et res[po]ndit mihi <i>ta corde semp[er li]citum uná
		b.ii
		
	1	traces
	2	quomodocumque possim
n	3	at te peruenire sunt enim
n	4	necessariá quaedam qua[e]
		b.iii
		
	1	traces?
	2	rem meum epistulas meas
	3	accipies quibus scies quid
	4	sim actura haec nobis
		c.v
		
	1	traces
n	2	.ra eram et Brigae mansura
n	3	Ceriale tuum a me saluta
	4	uacat
		b. Back
n n	1	m2 [ual]e m.. soror
n n	2	karissima et anima
n n	3	ma desideratissima
n n	4	uacat traces
		c.Back
	1	m1Sulpiciae Lepidi-
n	2	nae Ceria[li]s traces?
n	3	a Seuera B[rocchi]

Tab. 248

		i
	1	Niger et Brocchus Ceriali
n	2	suo salutem
n	3	óptamus frater it quot
	4	acturus es felicis-
	5	simum sit erit autem
	6	quom et uotis nostris
	7	
		ii
	8	conueniat hoc
n	9	pro te precari et tú
n n	10	sis dignissimus con-
n	11	sulari n(ostro) utique ma-
n n	12	turius occurre
n n	13	m2op<t>amus frater
n n	14	bene ualere te
	15	domine traces no. exspec
	16	
		Back
	1	m1 [Fl]au[io] Cerial[i]
	2	[prae]f(ecto) coh(ortis)
	3	traces?

Tab. 310

		i
n n	1	Chrauttius Veldeio suó fratri
n n	2	contubernali antiquo pluri-
n	3	mam salutem
n	4	et rogo te Veldei frater miror
n n	5	quod mihi tot tempus nihil
n n n	6	rescripsi a parentibus nos-
	7	tris si quid audieris aut
n n	8	Quot.m in quo numero

n n	9	sit et illum a me salutabis
n n	10	[[s]]uerbis meis et Virilem
n	11	ueterinarium rogabis
n	12	illum ut forficem
ii		
n	13	quam mihi promissit pretio
n	14	mittas per aliquem de nostris
n	15	et rogo te frater Virilis
n	16	salutes a me Thuttenam
n	17	sororem Velbuteium
n	18	rescribas nobis cum...
	19	se habeat uacat
n	20	m2? opt<o> sis felicissimus
n	21	uale
		Back
	22	m1Londini
	23	Veldedeio
	24	equisitioni co(n)s(ularis)
	25	a Chrauttio
	26	fratre

Tab. 311


i

- 1 Sollemnis Paridi fratri pluri-
- 2 mam salute[m]
- 3 ut scias me recte ualere
- 4 quod te inuicem fecisse
- 5 cupió · homo inpientissi-
- 6 me qui mihi ne unam e-
- 7 pistulam misisti sed
- 8 putó me humanius
- 9 facere qui tibi scribó

ii

.....

- 10 tibi frater [..].
- 11 contubernalem meum
- 12 salutabis a me Diligen-
- 13 tem et Cogitatum et



14 Corinthum et rogó
15 mittas mihi nómina
16 traces

.....

Margin

17 m2?]m.

18]ter


19]me

Back

n 1 m1Paridi ..luc..or.[
n 2 coh]ortis iii Batauo-
3 rum
n 4 a Sollemni
n 5]....o

TAB. 343

n 1 Octavius Candido fratri suo
n 2 salutem
n 3 a Marino nerui pondo centum
n 4 explicabo e quo tu de hac
n 5 re scripseras ne mentionem
n 6 mihi fecit aliquotiens tibi
n 7 scripseram spicas me emisse
n 8 prope m(odios) quinque milia prop-
n 9 ter quod (denarii) mihi necessari sunt
n 10 nisi mittis mi aliquit (denariorum)
ii
n 11 minime quingentos futurum
n 12 est ut quod arre dedi perdam
n 13 (denarios) circa trecentos et erubes-
n 14 cam ita rogo quam primum aliquit
n 15 (denariorum) mi mitte coria que scribis
n 16 esse Cataractonio scribe
n 17 dentur mi et karrum de quo
n 18 scribis et quit sit cum eo karro
n 19 mi scribe iam illec petissem
n 20 nissi iumenta non curauí uexsare
n 21 dum uiae male sunt uide cum Tertio



n	22	de (denariis) viii s(emisse) quos a Fatale accepit
n	23	non illos mi uacat accepto tulit iii
n	24	scito mae explesse [[exple]] coria
n	25	clxx et braxis excussi habeo
n	26	m(odios) cxix fac (denarios) mi mittas ut possi-
n	27	m spicam habere in excusso-
n	28	rio iam autem si quit habui
n	29	perexcussi contuber-
n	30	nalis Fronti amici hic fuerat
n	31	desiderabat coria ei ad-
n	32	signarem et ita (denarios) datur-
n	33	{ur}us erat dixi ei coria in-
n	34	tra K(alendas) Martias daturum Idibus iv
n	35	Ianuariis constituerat se uentur-
n	36	um nec interuenit nec curauit
n	37	accipere cum haberet coria si
n	38	pecuniam daret dabam ei Fronti-
n	39	nium Iulium audio magno lice-
n	40	re pro coriatione quem hic
n	41	comparauit (denarios) quinos
n	42	saluta Spectatum I...-
n	43	rium Firmum
n	44	epistulas a Gleucone accepi
n	45	ual(e) retro
n	46	Vindol

TAB. 346

		i
		
n	1	traces
n n	2	ram tibi paria udon[um
n n	3	t. ab Sattua solearum [
	4	duo · et subligariorum [
n n	5	duo solearum paria du[o

6	traces
	
	ii
	
7	]um saluta...[
8	]ndem Elpidem Iu[
9	]enum Tetricum et omn[es
10	[c]ontibernales cum quibus
11	[o]pto felicissimus uiuas uacat [
	
	Back
12	traces

The conventions which have been used are the following:

i, ii:	designate separate columns of text following the original layout.
. . . :	indicates that the text is broken or incomplete at the top or bottom.
m^1, m^2 :	distinguish different hands in the text.
[]:	indicates a lacuna in the text.
[c.4]:	estimate of the number of letters missing in a lacuna.
<i>uacat</i> :	a space left by the scribe on the tablet.
[[abc]]:	letters crossed out or erased by the scribe.
abc:	letters or words added by the scribe above the line.
<abc>:	letters erroneously omitted by the scribe.
{abc}:	superfluous letters written by the scribe.
<i>abc</i> :	doubtful or partially preserved letters.
... :	represents traces of letters visible on the tablet which have been left unread.
<i>praef(ecto)</i> , (<i>centurio</i>):	expansion or resolution of an abbreviation or symbol.

Notes

The existence of notes for a line of text (whether pertaining to an individual line or a series of lines) is indicated by an underlined n.

Cfr. *Vindolanda Tablets on line* (<http://vindolanda.csad.ox.ac.uk/index.shtml>)